



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Theodoræ, in tentationibus suporandis, virtutem imitanda[m] esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Quod utinam & nos discamus, quibus graue est, vel vno die cilicium gestare, aut ieiunio ventrem contrahere; immò vel septem pœnitentiæ Psalmos, vel immaculatæ Matris officium legere; cum tamen non vnus tantum sceleris, sed centum, sed infinitorum propemodum criminum rei, diuinæ iustitiæ plus debeamus. Tot quidem libidinosas cogitationes, tot infandas voluptates quorundam, humani generis accusator in diphthera sua annotauit; & nimium est, si pro tantis debitis cilicium inducere, aut flagellis se cedere, aut ieiunijs genium fraudare jubeantur? immò nimium non esset, si in claustrum, in solitudinem, in asperissimum Ordinem Religiosum ingredi juberentur. Quidquid ibi per septem, immò per septemdecim, aut etiam per centum, annos ferrent, adhuc tolerabile esset, si id cum Inferno, qui vel vnico peccato mortali debetur, comparemus. Et certè multos satis graues peccatores Deus videns aliter vitam non emendaturos, vocat ad Religionem, vt inibi operibus pœnitentiæ & charitatis compensent tot iniurias illi illatas: sed quia neque Dei iram, neque Gehennæ flammam æstimant, vocanti cælo aures claudunt, & in eas, etiam dum viuunt, labuntur calamitates, vt neque hîc gaudeant, neque illic cælum adeant. Rectè sapiunt, qui sapiunt cum Theodora. Multi pœnitentiam egerunt non sufficientem, nemo nimiam. Quod culpæ superest, ad coronam superest. A pœnitentia igitur numquam desistamus. Sapientissimus fuit, qui monuit: *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius:* Maximè autem, & certissimè in eos, qui cum morti sint vicini, & iam iam ad diuinum tribunal citati, adhuc modicum tempus habent Numinis ac iudicis sui placandi, tamen omnia alia agunt. Solliciti sunt de villis & agris, de vindicandis inimicis, de filijs promouendis, de debitis recipiendis, de absoluendis ædificijs: & non sunt solliciti de anima sua in bonum statum reducenda; aut de tentationibus superandis, quæ tunc solent esse vehementissimæ, sicut venti desituri.

Volet autem aliquis scire, quid S. Theodoræ marito contigerit,

VIII.

Eceli. 5. 5.

IX.